

PRÆFATIO.

tum Amplissimi Præfulis munificentia fruendi. Omnibusque hujus nostræ Editionis Fautoribus me quamplurimum devinctum teneo; præser-tim dignissimo Præfecto, & Sociis Collegii *Corporis Christi*, qui in memoriam Beneficiorum SPENCERI, Optimi Viri effigiem impensis suis æri incisam huic Operi præfigi voluerunt; ut *mortuus quamvis, adhuc loquatur.*

QUOD ad me attinet: Auctores laudatos diligenter evolvi, paucos tantum excipias, quos Bibliothecæ nostræ, licet instructissimæ, non suppeditarent. Errores quosdam in locis citatis, Notis ad veram mentem restitui, & obscuriora illustravi. Indices adduntur Rerum; Locorum S. Scripturæ; Auctorum Græc. Latin. & Anglic. Hebr. Chald. Syr. & Arabicorum: cum toto illo Opere Talmudico, cui nomen *Mishnah*; & Maimonidis *Jad Chazakah*. ——

DE Origine Legum Hebræorum, non me latet plures in diversa esse sententia; & altis clamoribus, ne dicam opprobriis in SPENCE-RUM invehi, qui ab Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, aliorumque moribus & institutis illarum rationem petit.

FATERNI quidem necesse est, quæ objici solent, aliquam veritatis speciem secum ferre. Sed cum probe novimus, populum Hebræorum paucum admodum fuisse, præ cæteris Terrarum Orbis Gentibus; cum odium inter Judæos & Ethnicos erat acerrimum; cum Judæorum status erat humillimus, Gentilium autem florentissimus; cum Zabiorum, (quorum mentionem sæpe facit Maimonides, Lib. 3. Mor. Neb.) ritus & ceremoniæ, eadem fere erant: Spencerus cum Maimonide affirmare nullus dubitat, Deum Leges Hebræorum Rituales tulisse Ethnicorum ceremoniis adversas; non tamen adeo adversas, ut contradictionis aut singularitatis amori ortum suum debeant. —— A me enim, inquit, nunquam impetrare potero, ut censeam, Deum O. M. leges ullas, e mero contradictionis aut singularitatis amore Judeis imposuisse. Nihil unquam in vetitis a Deo positum est, nisi quod malum in se esset, aut mali alicujus speciem haberet, aut gravi alicui malo fenestram aperire posset. Vid. Lib. 2. Cap. 20. Sect. 5. p. 415. Plura Veterum Monumenta sacra periisse, satis constat; quorum copia si nobis esset hodierno die, nullus forsitan conjecturis hominum locus daretur: sed face illa extincta, per nubes, per tenebras sæpe iter facimus. Felix autem ille habetur, qui parum lucis noctis, si non omnem, aliquantulum tamen Viæ possit monstrare. Spencerus sortis hujus iniquæ memor, ait: —— Si Lector legum rationes alibi datas inveniat, iisdem nominibus commendatas, non est quod eas contemnat statim, aut me solis conjecturis niti suspicetur, tantum quod Auctoris alicujus testimonium ad fidem dictis meis astruendam desideretur. Serio dolendum est, tot Auctores, qui vetera sacra memoria consignarunt, e rebus evanuisse, quos rei literariæ multum intererat minime periisse. Vid. Lib. 2. Cap. 14. Sect. 3. pag. 376.

PRÆFATIO.